

usque in hodiernum diem custodiunt, ac deinceps per omne tempus Deo annuente et beati martiris patrocinio subveniente conservabunt. Sunt quippe in eadem familia plurime cognationes, in quibus singulis, qui senior fuerit, duos nummos vel duos ejusdem precii Cere fundos annuatim ad altare Patroni nostri deferre debebit, ceteris omnibus a conditione debiti hujus liberis permanentibus. Cum vero senior ille obierit, primus etate et consanguinitate ad persolvendum Censum locum ejus obtinebit; pro defuncto autem melius indumentum, quod habuit, ad altare deferatur: sed nullus juniorum vita decedens hac lege tenebitur. Observandum tamen, quod pro femina defuncta de lineis tantum indumentis melius est offerendum. Sciendum est preterea, quod videlicet in tota familia illa rerum suarum donationes facere, uxores ducere et nuptui tradere omnimodam libertatem habebit; nec aliquis Ecclesie Priorum seu Canonicorum per exactionem, que vulgo *Beddemunt* vocatur, ab aliquo quicumque extorquebit. Nec hoc pretereundum est, quod quicumque absque herede, vel absque rerum suarum donatione defunctus fuerit, tota substantia ejus cum omni fidelitate et integritate in ditionem Canonicorum transibit. Nequis autem imposterum institutionem majorum temerari presumat, sed ut perpetualiter inconvulsa permaneat, placuit nobis eam presentis pagine scripto commendare, et Sigillo beati Patrocli insignitam ac roboratam confirmare.

(L. S.)

Das große runde auf die Urkunde festgeheftete Siegel in weißem Wachs stellt den h. Patroklus vor.

Beilage 37.

1262 in Crast. Galli. Auszug des Synodalbeschlusses Bischofs Simon zu Paderborn, die Rechte der Wachsinsigen betr.

Item de cerocensualibus ita sententiatum exstitit, quod juris est, et in omnibus Eccis observatur, quod si vir cerocensualis ducat uxorem sue conditionis dabit pellem hircinam aut unum solidum et stat in arbitrio Domini, quid duxerit eligendum. Si vero duxerit uxorem, que non est sue conditionis, citandus est tribus edictis, et si comparuit dabit quinque solidos, et remanebit in jure suo, si vero non comparuerit jure suo sibi abjudicato perpetuo remanebit servilis conditionis illius Ecce, cujus fuerat cerocensualis, antequam suis exigentibus meritis — jure suo per sententiam privaretur, et eo defuncto Dominus suus tollet hereditatem suam sicut servi.

Item si vir cerocensualis proprio arbitrio tradit se in potestate alicujus, ut sit ejusdem servilis conditionis dominus suus repetet ipsum pro servo et eo defuncto tollet hereditatem suam, quoniam fraudem fecerat ecce suo et a jure suo recesserat ipso facto.

Item si aliquis cerocensualis non solverit cerocensum suum per biennium et sit in patria constitutus, nec propter paupertatem nimiam obmittat, et de hoc convictus fuerit legitime, deinceps remanebit proprie conditionis illius ecce cujus cerocensualis existit et eo defuncto dominus suus tollet hereditatem suam sicut servi. Si vero idem extra patriam constitutus fuerit, per triennium sive amplius et ob causam legitimam solvere cerocensum non poterat, et hoc constat et post redditum suum absque monitione cerocensum suum solverit, pro toto tempore sic neglecto, ejus negligentia nullum sibi praejudicium generabit, sed in jure suo, ante recessum suum habito, remanebit.

Item si vir cerocensualis, qui duxit uxorem non sue conditionis, decesserit, et non est vir superstes ejus consanguineus et ejusdem conditionis Dominus suus accipit suum Hwede (Herwede), simile est de hereditate, cum non est heres consanguineus ejusdem conditionis, Dominus accipit hereditatem. Similiter si mulier cerocensualis decesserit et non est ejus consanguinea ejusdem conditionis, Dominus tollet exuvias, et hereditatem, si residuus non est heres servilis conditionis.

Constitutum stricti juris esse, quod in omnibus ecclesiis conventualibus thesaurarius sive custos in aliis vero parochialibus plebanus recipiet cerocensum.

Item cerocensualis homo non habens heredes sue conditionis in lecto egritudinis constitutus nihil de bonis suis legare sive alienare poterit, sed totum quod possidet cedit thesaurario vel plebano si decesserit, nisi conditionaliter cerocensualis factus fuerit, et hoc probare valeat per testes idoneos vel publicum instrumentum.

Preterea sententiatum existit, quod a laycis sive parochialibus alicujus ecclesiae irrequisito plebano sive rectore ecclesie nihil de rebus ecclesiasticis est ordinandum, quoniam idem plebanus et rector ipsos parochianas suos ad decorum domus dei et obsequium christi crebris monitionibus confovebit et ad conservationem rerum ecclesiasticarum, sicut ex officiis debito tenetur, plus ceteris orit sedulus et fidelis.

Nos enim Sijmon Eps. padsis decernentes et volentes, hujusmodi sententias habere robur perpetue firmitatis, eas sub anathematis anunciatione, auctoritate qua fungimur ab omnibus, precipimus perpetuo inviolabiliter observari, et ne hujusmodi sententiis rite latis quisque praesumat de cetero temere contraire,

contradictores, si qui fuerint, monemus, et presentibus iniungimus in virtute sancte Obedientie ab universis archidiaconis et ecclesiarum rectoribus, competenti monitione premissa, per censuram ecclesiasticam districtius cohercēri. De eujus et facti nostri perpetua evidentia presens scriptum nostro Sigillo fecimus communiri, actum et datum in Synodo nostra episcopali. Ao. Dni. M.CC.LX Secundo in crast. Galli.

(L. S.)

An der Pergamentsurkunde des ehemal. E. A., welche in den Falten und an einer Seite sehr schadhast, hängt in der Mitte an einer seidenen Schnur das Siegel des Bischofes von weißem Wachs mit kleinem Rückiegel.

Beilage 38.

Auszug aus dem Registrum (Sarrachonis Abbatis Corbejen-
sis) honorum et proventuum Abbatiae Corbejensis.

(Zwischen 1053 — 1071.)

(Wegen Mangel an Raum werden nur die ersten 20 Nummern mitgetheilt.)

1. Ego S. indignus pro nunc abbas monasterii sanctorum martyrum Stephani atque viti Corbeia uulgariter nuncupati hoc registrum honorum et proventuum ecclesie nostre de uetusto chartulario in formam subsequentem ea qua potui industria transscripsi ac redegei et iussi conseruari ut sciant tam successores mei quam posteri quale commodum temporalis subsidii in nostra ecclesia sub canonica et regulari disciplina domino nostro Jesu Christo indefesse seruientes et perseueranter famulantes possideant ad laudem et honorem omnipotentis dei gloriosissimeque genitricis semperque virginis marie nec non sanctorum martyrum Stephani Viti atque Justini.

2. In Haribernessun in pago Fleithi continentur LXXX iugera que habent guncelin et dietbolt et persoluent LXXXX modios siliginis.

3. In Scitira in pago Hunetigo megindac habet mansum unum et persoluet in uno anno XXX modios siliginis et XXX modios auene et III oues.

4. In unidisleue in pago Hardego continentur VII mansi quos habent geruuart menni siggo diezelin sibo luizo et reddag et quoniam anno singuli persoluent XXX modios siliginis XXX modios auene et II oues.